



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

iiij. Si velis emere accipitrem, quibus signis cognoscatur, vtrum sanus sit,
an aegrotus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

Terei dicere possit. maxime hebetes oculos habent, sed se curare norunt succo lactucæ agrestis.

Si velis emere accipitrem, quibus signis cognoscatur, utrum sanus sit, an agrotus.

COLUMBAM vino odorato & veteri aspersam cum lasere præbeto accipitri edendam: tum mox cognosces, sanus sit, necne. Si sit enim ægrotus, illam non attinget. Vel eundem humi deponito non procul à pedibus tuis. extollito manum tuam altè, quantum potes, eumque carnis appellato. si confestim venerit in manum, scito sanum esse: sin minus, ægrotare. ne igitur hunc emeris. Vel sumito ex fabri officina ferri ramentum, idque benetrutum, ex carne detur accipitri edendum. si ipsum deuorauit, sanus est: sin minus, ægrotat. Sed si cum sanguine illud expuit, signum est, eius viscera male affecta esse. Ac si acciderit, ubi ferri scobem sumpserit, ut eius ossa & articuli sonent, signum illud tibi sit, debilia esse eius interiora. Vel sumito ouillum pulmonem calidum, accipitrique præbeto. si confestim nullam sentit molestiam

molestiam, sana eius interiora existimato: Sin laborent, & concoctione affligitur, scito ægrotum esse, postridieque grauius habiturum. itaque emendus non est. Quod si tuus est, istum accommodato remedio curabis.

*De aucupio, educatione, & cicuratione
accipitrum.*

AUCUPANDI accipitres paruulos & nondum ex nido prodeuntestempus incipit pridie Calend. Iunij, desinit in fine Iunij. Verum aucupandi eos, qui cum patribus iam venantur, tempus est vsque ad Augustum. Captos in obscuram domum includi conuenit, vbi in pertica quietè insistant, ac paucis post diebus leniter manu gestandi, æstate quidem, oriente & occidente Sole, horisque altioribus. Nam si in cælo calido multum gestentur, tum ex calore solis, tum ex venatoris manu, pulmonis inflammatione flagrantes, celeriter consumuntur: cum item in feruore solis aucupantur, citò defessi pereunt. Loro ligandi sunt, quod quindecim longitudine digitorum sit, & colore nigro, non rubro, ne aquilis rapinæ causam det coloris rubor.

B